

ANN. XIX - FASC. XII


MENSE DECEMBRI MCMXXXII

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Decembri MCMXXXII

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE INGENUARUM ARTIUM OFFICIO

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis Nataliciae quae imminent Festa et novum annum bona atque fausta ex animo ominamus.

Quae in ann. MCMXIII, qui vitae nostrae erit vigesimus, nobis proposuerimus, in proximo Ianuarii fasciculo de more declarabimus; id unum edicere hodie satis sit, pretium subnotationis immutatum mansurum: erit libell. 15 pro Italia; dollar. 3 pro septentrionali America; pro ceteris nationibus summa triginta italicas libellas exaequans.

Servent veteres socii operi nostro favorem, cuius tot tamque certa documenta nobis huc usque obtulerunt, novosque socios agmini addendos procurent; atque vivant in aevum feliciter!

ALMA ROMA.

De ingenuarum artium officio, quod ad mores attinet, deque iisdem artibus ad bonum deducendis non semel in hoc commentario scripsi; quum vero de re disceptatio hisce nostris diebus vehementior hinc inde renovata sit, praestat et nobis in certamen iterum descendere.

Profecto, quae inter liberales artes et morum disciplinam relationes intercedunt, eae subtilis disquisitionis sunt, simulque maximi ponderis; itaque diurno studio exagitatas unaquaeque vident aetas, auctas interdum, interdum imminutas, quandoque etiam omnino denegatas, quo commodior et solutior, corruptis viris, cuiusvis freni impatientibus, scalpendi, pingendi, scribendive libertas esset. Hanc vero postremam sententiam toto animo oppugnandum ego censeo; nexum immo et coordinationem inter utramque ingruere aperte contendo. Humanae enim vires omnes — (est equidem ingenuis artibus vis summa tributa) — certa regula et lege gubernari opus est, quibus et corripiantur, et cohibeantur, et dirigantur ad finem; iis, contra, resolutis, lamentabile detrimentum ex irrefrenato impetu facile paratur.

Detimentum autem eo ferme fit gravius, quo dilapsae vires validius possent, vehementiusque animos alliciunt. Atqui id positum est artibus praecipuum, ne hominem a praecipuo fine suo atque a societatis humanae bono divertat. Ecquis enim illecebras validissimas bonis artibus concessa deneget? Ecquis immo eas, natura quadam sua, ad sensus voluptatem excitandam pronas fieri oppugnet?

Attamen cavendum ne quid nimis, nec requirendum plane eas et semper et a quovis artifice ea mente pertractari, ut bonum directa opera sua provehant. Neque enim pictor, neque sculptor, nec musices peritus ad morum emendationem praecipue procurandam tenentur. Possunt haec quidem suam veluti metam, non sine maxima laude, p[ro]ae oculis artifices habere; immo, hoc seposito omnino fine, artium litterarumve opera inepta otia revera fuent, pronti ea maiores extimarunt; verum id assequi plane, pulcre, scripta vel efficta videmus, quem nulli saltem malo occurunt. Est enim pulcrum quidquid, eiusque forma, saluberrima animi delectatio, quae cum bono coniurat amice atque in eius augmentum late pollet.

Contra, tutum est asserere, necessario ex artium natura argui morum disciplinam, probitatemque nullimode ab iis laedi oportere; siquidem nihil quod humanae perfectionis et beatitudinis est, imminuere naturae disciplina, vel philosophia, vel litterae bonaeque artes necessario tenentur, et ipsam morum honestatem prae omnibus tutandam suscipere. Quae contra mores crimina in ingenuarum artium exercitio admittuntur, horum praestat duas species distinguere; nam vel malis illecebris, data opera arte propositis, procurantur, vel soluta nimis vitorum representatione. Atqui de prima signorum scriptorum ratione, quod perniciosissima sit, nulla quaestio, ita ut perpensis etiam quae haud raro in ipsis reperiuntur,

pulcritudinis eximiis formis, de criminibus potius in mores admissis, quam de artium operibus feratur iudicium, actaque causa sit. Haec autem parata non semel atque infasto conatu quotidie parari nemo neget, plurimosque scriptores artificesque fuisse, qui suum ingenium venale quodammodo fecerint, ut malis ad voluptatem illecebris copiosum sibi lucrum congererent. De his Gallorum quidam celeberrimus pulcritudinis investigator magistratus potius quam litteratis provinciam derelinquendam iure meritoque censuit, atque lege Iulia de adulteriis, non critics regulis, quodammodo in eos inquirendum.

Alia tamen sunt suapte natura innoxia, quae tamen, prouti fert corruptum hominum ingenium, quamdam nocendi vim lectione vel spectatu inducunt ac retinent. Huic persaepe discrimini pictoriae vel sculptoriae artes occurunt, quum nuda hominum membra sibi effingenda sumunt. Qua quidem de re hanc doctrinam paucis enucleari posse credo: nihil scilicet in nudis formis simpliciter effingendis minus castum re inesse; verum malesudae hominum menti pericula offensionis inde plurima parari. Ex adverso huiusmodi studium artifici non denegandum, nisi universam scalpendi pingendique peritiam delere placuerit.

Non igitur haec, quae danda operum naturae sunt, renuere nos contendimus; ius tamen huiusmodi studia atque experimenta exponendi aegre admodum concedimus. Ita etiam Paganorum dii deaeque et quotquot sunt lascive efficta, omnia sine magno ferme artium detimento, vulgi oculis abdita manere opportunius arbitramur: plebis enim rude ingenium p[ro]ae artis peritia atque calliditate, quas perraro discernit, malas tantum illecebras plerumque haurit, indeque noxia experitur incitamenta. Sed artes omnes, sive calamo, sive scalpro utimur, maxima praestant dignitate, qua quoties sese expoliaverint,

toties, sua ipsius attributa, origines, natum denegabunt. Etsi enim artifices non cogantur bonorum morum praecones fieri, sunt tamen quasi cuiusdam electissimi munieris sacerdotes adlecti, ut inter homines summae divinorum operum pulcritudinis fiant administrati. Haec Socrates ipse, haec Plato, pluribus abhinc saeculis, plane intellexerant; haec christiano homini profitenda, artifici adhibenda semper et ubique manebunt.

I. A. C.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De temporibus verborum.

Quo tempore verbum efferendum sit, hoc pendet tum a genuino sensu uniuscuiusque temporis,² tum a mente scribentis, tum a tempore verbi praecedentis.

Quod patebit ex duobus capitibus:

- 1º) de usu temporum;
- 2º) de «concordantia» seu concordia temporum.

§ I. - De usu temporum.

I. - Latini ea fere tempora usurpant, quae presse et circumscripte id exprimant quod in mente est;³ v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

² Sensus proprietatem in usurpandis diversis verborum sensibus summopere existimant Latini, magis quidem quam hodiernarum linguarum scriptores.

³ Tempus omne divisum est in partes tres: *praesens*, *praeteritum*, et *futurum*. Horum unumquodque dupliciter intelligi potest: vel de re *imperfecta*, vel de re *perfecta*. Hinc tempora in verbo numerantur sex, ut sequitur:

Praesens:

- | | |
|-------------------------------------|---|
| 1º) rei imperfectae
(= praesens) | Lego (= <i>nunc</i> actio mea legendi perdurat). |
| 2º) rei perfectae
(= perfectum) | Legi (= <i>nunc</i> actio illa est absoluta, perfecta). |

Praeteritum:

- | | |
|--|--|
| 1º) rei imperfectae
(= imperfectum) | Legebam (= tempore quodam praeterito — v. g. quum patet advenit — actio mea legendi perdurabat). |
| 2º) rei perfectae
(= plus quam perfectum) | Legeram (= tempore quodam praeterito, actio illa erat absoluta). |

Futurum:

- | | |
|--|--|
| 1º) rei imperfectae
(= futurum) | Legam (= tempore quodam futuro actio mea legendi perdurabit). |
| 2º) rei perfectae
(= futurum exactum) | Legero (= tempore quodam futuro erit actio illa perfecta sive absoluta). |

¹ Hinc locus est praesenti quum actio quaedam fit, quum tamen certum non sit effectum reapse sequitur; v. g.: Domum vendo (Cic., *De Off.*, III, 13, 55).

² Hinc usurpat praeiens,

a) quum actio quaedam fieri solet, atsi actu non exerceatur et solum enunciatur veritas seu principium «generale»; ut dicimus, v. g.: Facile omnes, quum valemus, consilia aegrotis damus (Cic., *De Leg.*, III, 1, 2). — Dulce et decorum est pro patria mori (Hor., *Carm.*, III, 2, 13).

b) quum citantur scriptorum verba aut proferruntur eorum doctrinae; v. g.: Plato et in Timaeo dicit et in Legibus mundum deum esse. — Hunc locum

Quum fortuna reflavit, affligimur.
Oculi, quocumque incident, vident.
Spero me assequuturum. — Pollicentur
sese Sardinia cessuros.

Hunc librum si legeris, laetabor.

Si nos dii adiuvabunt, circiter idus novembres speramus in Italia fore (Cic., *Fam.*, XV, 5).

II. - Praesens exprimit

1º) actionis existentiam tempore praesenti; ⁴ v. g.:

Video.

2º) habitum actionis praesentem, sive etiamnum perdurantem, quamvis nunc actu non exerceatur; ⁵ v. g.:

Quod te iamdudum *hortor* (Cic., *Cat.*, I, 5).
Rure morans quid agam, *respondeo*
pauca rogatus: «Luce deos *oro*; famulos,
post arva *reviso*; inde *lego*, Phoebumque
cio, Musamque *lacesto* (Mart., *Epigr.*) —

Cicero *tractat* in libris de Natura deorum. — Plato *doct* animam esse immortalem.

NB. — *Perfectum* interdum praesentis locum tenet ad significandum quod fieri solet; v. g.: Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens *concupivit* (= *concupiscit*) (Cic.). — Ab debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos *perdiderunt* (= perdunt) (Cic.). — Saepe magna indoles virtutis, priusquam rei publicae prodesse potuisset, *extincta est* (Cic., *Phil.*, V, 7, 47). Sed tunc perfecto addere solent «multi, nemo, saepe, plerumque» aut aliud huiusmodi vocabulum. Graeci eadem scribendi ratione utuntur: usurpant aoristum loco praesentis; v. g.: *Tempus multa destruit = Πολλὰ ὁ χρόνος διέλυσεν* pro *διάλυει* — Rem enim quae fieri assolet considerant saepe, non quidem in praesenti, bene autem in praeterito. — Et scriptor, ad exprimendam generalem sententiam, innititur praeteriti experientia. — Qui aoristus *gnomicus* vocatur.

2º) *Perfectum* quandoque usurpat, pro praesente etiam in coniunctivo quo imperatur, aut optativi; v. g.: *Tu vidēris* (= *videas*, vide).

3º) *Imperfectum* pro praesente videtur usurpatum ad significandum aliquid quod semper verum est, sed a dicente referatur ad tempus praeteritum, quo actio praecipua facta est; v. g.: Pastum animantibus natura eum qui cuique aptus *erat* (= est) comparavit (Cic., *De Nat. deor.*, IV, 47, 121). — Quae erant prudentiae propria, suo loco dicta sunt (Cic., *De Off.*, I, 40, 143).

Hoc fit imprimis in descriptione terrarum; v. g.: In fines Ambianorum pervenit. Eorum fines Nervii attingebant (= attingunt) (CAES., *De bel gal.*, II, 15, 2-3).

II. — In universum, *imperfectum* pro praesente usurpat in propositionibus subiectis, quae a verbo praeteriti temporis pendent; v. g.: Apelles pictores eos peccare dicebat qui non *sentirent* quid esset satis (Cic.). — Hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi quae de maximis quaestionibus copiose posset ornatae dicere (Cic.).

NB. — Post *praesens historicum*, verbum propositionis subiectae aut, melius, praesente aut imperfecto effiri potest; v. g.: *Huc persuadet* (= *persuasit*) ut ad hostes *transeat* (CAES.). — *Persuadet* (= *persuasit*) Castico ut regnum *occuparet* (CAES.).

Alias Imperfectum coniunctivi regi non potest a verbo praesentis temporis. Idcirco dicitur: *Quis nescit quanto in honore apud Graecos musica fuerit?*

(Ex his verbis, *respondeo* exprimit actum, cetera habitum).

III. — Perfectum exprimit actionem nunc esse absolutam, perfectam; ¹ v. g.:

1 a) Perfectum significare potest actionem cito faciem esse. Interdum praesenti aequivalet et reddi potest verbo «festinare»; v. g.: *Omnis campus diffigit* (= *diffugere festinat*) arator (VERG., *Aen.*, X, 304).

b) Perfectum saepe exprimit effectum seu statum praesentem ex actione praeterita et perfecta; v. g.: *Delenda est vobis illa macula, quae penitus insedit ac nimis inveteravit* in populi romani nomine (Cic., *De imp. Cn. Pomp.*, 3, 7).

NB. — Hinc: 1º) multa perfecta tempore praesenti redduntur, ut *odi*, *memini*, *novi*, *consuevi*, ... etc. — Cum his verbis plusquam perfectum imperfecti, futurum exactum futuri simplicis sensum habet.

2º) in sententiis «consecutivis», ut aiunt, saepe perfectum pro imperfecto usurpat, ad significandum statum adhuc durantem ac praesentem ex actione praeterita et perfecta; v. g.: *Puer ita decidit, ut crus fregerit*. — Adeo excellebat Aristides abstinentia, ut Iustus sit *appellatus*.

c) Ad melius significandum effectum praesentem ex actione praeterita, utuntur participio perfecto passivae vocis cum verbo «habeo»; v. g.: *Pecunias collocatas habent* (Cic., *De imp. Cn. Pomp.*, 7, 18).

Usurpantur praecipiuae: *habeo* aliquid *cognitum*, *comptum*, *comprehensum*, *constitutum*, *deliberatum*, *exploratum*, *perceptum*, *perspectum*, *spectatum*, *statutum*, et qua his synonyma sunt; v. g.: Siculi ad meam fidem, quam *habent spectatam* iam et diu *cognitionem*, confungiunt (Cic., *Dio. in Verr.*, 4). — Quantum in acie tironi si committendum, nimium saepe *experatum habemus* (Cic., *Fam.*, X, 24).

Item: *habeo* aliquid *inceptum*, *inchoatum*, *institutum*, *suscepitum*, *absolutum*, *paratum*, *scriptum*, et similia; v. g.: *Quod me hortaris ut absolvam, habeo absolutum suave*, mihi quidem uti videtur, *epos ad Caesarem* (Cic., *Ad Quint. fr.*, 8, 9).

Denique: *habeo persuasum* hoc vel illud futurum esse. Sed id genere neutro tantum, quia derivatur a verbo neutro, et ponitur pro impersonali «*persuasum mihi est*».

NB. — Hac circuitione 1º) omnibus temporibus ad effectum attenditur; v. g.: *Clausum lacu ac montibus et circumfusum suis copiis habuit* hostem (T. L., X, 1, 4, 4). — Equitatum quem ex omni provincia *coactum* *habet* (CAES., *De Bel. gal.*, I, 15, 1).

2º) Plerumque ad notionem praeteriti possessionis notio adiungitur.

Hic latinismus qui formatur e participio perfecto

I intro et compone quae tecum simul ferantur. *Dixi* (Ter., *Hec.*, 61, 2).

Vixit.

Multo frequentius est tempus historicum, quo in narratione simul exponimus facta, quae olim successive evenerunt, quem tamen non attendamus fuerint relate ad se mutuo perfecta an imperfecta; ¹ v. g.:

passivae vocis cum verbo «*habeo*» videtur esse ratio philologica temporum compositorum coniugationis gallica activae; v. g.: *J'ai vu* = *habeo visum*.

d) Inter «*amatus sum*» et «*amatus fui*» hoc discriminis est: «*amatus sum*» exprimit actionem, quam quis tempore praeterito passus est; «*amatus fui*», statum tempore praeterito; v. g.: *Legum, cum earum quae late sunt, tum vero quae promulgatae fuerunt* (Cic., *Pro Sest.*, 25, 55).

NB. — Adest etiam discriminis inter duas formas sequentes: «*lectus eram*» et «*fueram*», «*lectus ero*» et «*fuerio*».

a) Huiusmodi perfectum vocatur *historicum*. In voce passiva, habet auxiliare «*sum*, *eram* ... etc.», non vero «*fui*, *fueram* ... etc.»; v. g.: Augusto principe, *Ianus clausus est*.

b) Historici saepe, pro perfecto historico, usurpant praesens, variandi causa, et praesertim ut, rem legentibus quasi praesentem sistendo, dictionem magis animant; v. g.: *Ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius* (Cic., *De Surpl.*, 62, 160). — Obviam sit ei Clodius (Cic., *Pro Mil.*, 10) — *Consistit utrumque agmen* (T. L., XXI, 46, 4). — Caesar, quod pluribus praesentibus eas res iactari solebat, concilium dimittit, Liscum *retinet*. *Quaerit* ex solo ea quae in conventu dixerat; dicit liberius atque audacius. Eadem secreto ab aliis *quaerit*, *reperiit* esse vera (CAES., *De Bel. gal.*, I, 18).

NB. — 1º) Eadem de causa, ubi narratio fit concitator, praesens infinitivi non raro usurpat; v. g.: *Tum Persae ferociter in hostem incurrit*. Alexander territos *castigare*, *adhortari*, praelium quod elanguerat solus *accendere*. Confirmatis tandem animis, ire in hostem iubet (Q. C. IV, 15). — *Sthomachari Canius* (Cic., *De Off.*, III, 14). — (Cfr. Infra, *De modis*).

2º) Praesens historicum potest ad propositiones secundarias extendi; v. g.: *Postquam perfugae murum arietibus feriri vident*, aurum atque argentum domum regiam comportant (SALL.). — *Postquam videt fusas copias*.

c) In narratione etiam utimur imperfecto. De quo, in rebus narrandis, vetus et accuratissima regula est: perfecto procedit, imperfecto insistit oratio. Hinc

Itaque Caesar armis rem gerere *constituit*, exercitum finibus Italiae *admovit*, Rubiconem *transit*, Romam et aerarium *occupavit*, Pompeium cedentem *persecutus est*, eumque in campis Pharsalicis *devicit*.

IV. — Imperfectum ¹ exprimit:

1º) vel actionem perdurantem quo tem-

factorum seriem perfecto enarramus; utimur autem imperfecto, ut sequitur:

2º) Quum significare volumus actionem quampiam, relate ad aliam, fuisse perdurantem; v. g.: Themistoclis consilium plerisque civitatibus *displacebat*. Itaque missi sunt electi, qui Thermopylas occuparent (C. N., *Them.*, 3).

2º) Quum, re narrata, in eius adiunctorum descriptione subsistimus, ad dandam sive causam sive explicationem facti praecipui; v. g.: Caesar consilium mutavit. *Videbat* enim nihil tam exiguis copiis confici posse. — In Graecia musici floruerunt, *discabantque* id omnes (Cic., *Tusc.*, I, 2, 4). — Caesar Alesiam circumvallare instituit. *Erat oppidum in colle summo* (CAES., *De Bel. gal.*, VII, 69). — Verres inflammatus scelere et furore in forum venit. *Ardebat* oculi, toto ex ore crudelitas *eminebat*. *Exspectabant* omnes ... *Clamabat* ille miser (Cic., *Verr.*, V, 62).

NB. — Etiam haec ipsa adiuncta perfecto exprimi possunt, dummodo scriptor ea ne referat ad facta praecipua; v. g.: Via Nomentana, cui tum Ficulensi nomini fuit, profecti, castra in monte sacro locavere (T. L., III, 52, 3).

3º) Quum loquimur de actionibus saepe repetitis, itaque de institutis, moribus, consuetudinibus privatorum vel populorum, quae praeterito tempore, quo evenerunt facta historica, exsistebant; v. g.: Cimoni Athenienses diu desideraverunt... Quotidie sic ei coena *coquebatur*, ut, quos non vocatos vidisset in foro, omnes devocaret, quod facere nullum diem *practermittebat* (C. N., *Cim.*, 4).

NB. — Habitus rei praeterita etiam perfecto historico efferi potest. Sed tunc narratur ut factum quod olim praeterit; ubi contra imperfecto, depingitur ut res olim perdurans; v. g.: Cimonem Athenienses diu desideraverunt. Semper eum pedisse qui cum nummis sunt *sequuti*. Saepe, quum aliquem videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit (C. N., *Cim.*, 4).

1º) Imperfectum latine interdum significat

1º) actionem quae in eo erat ut fieret, nec tamen facta est; v. g.: Huius ditionis ipse Postumius, qui *dederatur*, suasor et auctor fuit (Cic.). — Utrum tandem pluris aestimamus pecuniam Pyrrhi quam Fa-

pore alia facta est; v. g.: *Coenabam apud Seium, quum utrique nostrum redditae sunt a te litterae* (Cic., *Fam.*, IX, 7).

2º vel habitum iam praeteritum, sed eo tempore, de quo loquimur, perdurantem; v. g.:

Ego, qui me ostreis et muraenis facile abstinebam, a beta et a malva deceptus sum (Cic., *Fam.*, VII, 26).

Idque (oppidum) natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem (Caes., *De Bel. gal.*, I, 38, 4).

Tabulis interiores templi parietes vestabantur (Cic., *Verr.*, II, 4, 55, 122).

Qui portus ab Africo tegebatur (Caes., *De Bel. civ.*, III, 26, 4).

V. – Latini, epistolam scribentes, interdum pro praesente imperfectum usurpant, plusquam perfectum pro perfecto, ea scilicet tempora exprimunt, quae valent quum is ad quem mittuntur litterae, eas legit. 2

bricio dabant, an continentiam Fabricii qui illam pecuniam repudiebat? (Cic.).

NB. – Huiusmodi imperfectum vocatur imperfectum *conatus*. Potest etiam significare actionem, cuius effectus intendebatur, quum tamen non esset certo sequuturus; v. g.: *Lenibat dictis animum* (VERG., *Aen.*, VI, 468). – A legatis retinebantur (Caes., *De bel. gall.*, VII, 47, 2).

2º Actionis initium (= *imperfectum inchoatum*); v. g.: Consistit utrumque agmen, et ad praelium sese expediebant (T. L. XXI, 46, 4);

3º factum quod ex alio sequiturum intelligi poterat (= *imperfectum logicum consecutivum*); v. g.: Milone interfecto, Claudius haec assequebatur (= assecuturus erat) ut... (Cic., *Pro Mil.*, 12, 32).

Imperfecti sensum habent tum infinitivi, tum participia praesentis temporis quae a tempore praeterito pendunt; v. g.: *Credebam eum scribere. – Vidi eum ingredientem.*

NB. – Reddi non possunt tempore praesenti, nisi est veritas seu principium «generale» ac perpetuum aut actio adhuc perdurans.

1 Coniunctiones temporales, imprimis «postquam», saepe post se huiusmodi imperfectum habent; v. g.: Postquam Antonius adventabat. Catilina iter facere.

2 a) Quae praesentia sunt nec praeteribunt antequam legantur, praesente exprimuntur; v. g.: Me

Quae sibi praesentia sunt et praeteribunt antequam epistola legatur, imperfecto efferunt; v. g.:

Nihil habebam quod scriberem (Cic., *Ad Attic.*, IX, 10, 1).

Rem te valde bene gessisse rumor erat (Cic., *Ad Fam.*, I, 8, 7).

Nunc eram plane in medio mari (Cic., *Ad Attic.*, V, 12, 3).

Quae autem praeterita sunt et cum praesentibus rebus copulantur, plusquam perfecto efferunt; v. g.:

De republica, deque his negotiis *per scripteram* ad te diligenter paucis ante diebus, easque res *dederam* pueris tuis (Cic., *Ad Fam.*, XV, 9).

Neque enim novi quicquam *audieram* et ad tuas omnes *rescripseram* pridie (Cic., *Ad Att.*, IX, 10, 1).

VI. – Plusquam perfectum 1 exprimit 1º rei perfectionem in praeterito; v. g.: Urbs *condita erat*;

adhuc nihil praeter tempestatem *moratur* (Cic., *Ad Attic.*, X, 6, 1).

b) Perfectum pro imperfecto usurpant, si, non addiurnitatē factorum, sed ad finem attendunt; v. g.: Quae mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non *putabam* a me etiam nunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate nostra *volui* ad te scribere, ne, quum ad consulem scripsisset, publice viderer scripsisse (Cic., *Fam.*, XV, 9). – (Marcellus, lecta epistola, narrabit: Cicero non *putabat* ex *tunc* esse scribenda publice; propterea *noluit*... etc.).

c) Itaque, litterarum scriptor de rebus, tractu temporis quo epistola mittitur, mutationi obnoxii ita loquitur, prout ille qui epistolam recipit, eas narraret. Attamen, haec dos minime censenda est proprietas necessaria epistolari Latinorum styli (cfr. LAURAND, *Etudes grecques et latines*, VI, 373). Sic Tullius saepius praesens usurpat quam imperfectum; v. g.: Non *dubito* quin, legente te has litteras, confecta iam res futura sit. (Cic., *Ad Fam.*, VI, 12, 3).

1 a) In narratione, plusquamperfectum quandoque usurpatur ad significandum actionem tam cito fuisse factam, ut esset quasi absoluta quum alia fieret actio; v. g.: Claudio in ipso belli apparatu moritur, *redierantque* res ad Camillum (T. L., VII, 25, 10).

b) Plusquamperfectum quandoque non potest intelligi nisi ellipsi seu omissione quadam, quum sci-

2º effectum seu statum praeteritum ex actione praeterita et perfecta; v. g.: *Venerat* (= aderat).

VII. – In propositionibus subiectis, potest significare actionem prius esse actam quam alia, iam praeterita et perfecta, inciperet actio; v. g.:

Pausanias eodem loco sepultus est, ubi vitam *posuerat* (C. N., *Paus.*, 5, 5).

Africanus, posteaquam bis consul et censor *fuerat*, L. Cottam in iudicium vocavit (Cic.).

Summam spem civium, quam de eo iam puero *habuerant*, continuo adolescens incredibili virtute superavit (Cic., *De Am.*, 3, 11).

VIII. – Futurum simplex 1 actionem futuram denotat, futurum exactum action-

licet exprimit admirationem ob aliquid inexpectatum; v. g.: Obvia (nescio quot pueri) mihi turba *venerat*... Sed nudi *fuerant* (PROP., *Eleg.*, II, 22, (29), 1, 7).

c) Plusquamperfectum passive vocis cum «fueram» fere statum significat. Actionem tamen denotat in sententiis huiusmodi: Romae *trepidatum fuerat* iussusque erat Claudius classem in Siciliam ducere (T. L., XXX, 38, 6).

d) Post coniunctiones «posteaquam, postquam, ubi, ut, simulac, simul atque, simul, ut primum, quin primum», utuntur, non plusquamperfecto, sed perfecto, quando facta immediate alterum alteri succedunt; v. g.: Posteaquam Victoria *constituta est* ab armisque *recessimus*, erat Roscius Romae frequens (Cic.). – Ut equitatum suum pulsum *vidit*, acie excessit (CAES.). – *Simul ac primum* Verri occasio *visa est*, consulem deseruit (Cic.).

NB. – 1º «Antequam, priusquam, dum, donec», quum post se indicativum habent, perfecto semper efferunt; v. g.: Antequam tuas legi litteras, rem differri cupiebam (Cic.).

2º «Postquam, ubi, ut» saepe imperfectum post se habent; v. g.: Postquam id difficilius visum est neque facultas perficiendi *dabatur*, ad Pompeium transierunt. (CAES.).

1 a) Participium in «rus» cum verbo «sum» significat: 1º quod in eo est ut fiat; v. g.: Quum apes iam *evolutarue sunt*, consonant vehementer (VARR., *De Re Rust.*, II, 16, 30). – 2º Quod nobis in animo est facere; v. g.: Bellum *scripturus sum*, quod populus Romanus cum Iugurtha gessit (SALL., *Iug.*, 5, 1).

nem futuram, 1 quae iam peracta erit quum altera incipiet actio; v. g.:

Morietur – Scribet – Regnabit.

Ut sementem feceris, ita metes (Cic., *De orat.*, II, 65, 361).

Qui prior strinxerit ferrum, eius victoria erit (T. L., XXIV, 38, 5).

Hunc librum si *legeris, laetabor.*

(*Ad proximum numerum*).

I. Jss.

– 3) Quod vitari non poterit; v. g.: Quoniam eo miseriari *venturus eram* (SALL., *Iug.*, 14, 3).

b) Praesens pro futuro simplici usurpatum occurrat ad exprimendum quod proxime eveniet aut certo fiet; v. g.: *Advolone an maneo?* (Cic., *Ad Attic.*, XIII, 40, 2). – Ego reliquias portas *circumeo* et castrorum praesidia *confirmo* (CAES., *De Bel. civ.*, III, 94, 6).

NB. – 1º Hoc modo intelligi debet tempus praesens in sententiis sequentibus: Si statim *navigas*, nos Leucade consequere (Cic., *Ad Fam.*, XVI, 1, 2). – Si *vincimus*, omnia nobis tuta erunt (SALL., *Cat.*, 58, 9).

2º In sententiis sequentibus praesens pro futuro usurpat ad significandum actionem verbi primari immediate efflueret ex actione verbi propositionis conditionalis: *Salvae sunt*, si illos fluctus devitaverint (PLAUT., *Rud.*, 168). – De omnibus agris, optimo loco si emeris iugera agri centum, vinea est prima (CATO, *R. R.*, I, 1).

Tamen post propositionem conditionalem in futuro indicativi aut in imperativo, praesens non pro futuro usurpat, sed significationem propriam ac genuinam habet; v. g.: Si vos vestrum mihi studium ad communem dignitatem defendam *proficiam*... (Cic., *De Leg. agr.*, I, 9, 27). – Deserite eos a quibus, nisi *prospicitis*, brevi tempore deseremini (Cic., *De Leg. agr.*, I, 9, 29). – Videoto, si me *amas*, ne te hae litterae moveant (Cic., *Fam.*, XVI, 1, 2).

c) Perfectum pro futuro simplice usurpatum quandoque legitur, praesertim in propositione primaria a qua conditionalis pendet quae futuro praeterito effertur; v. g.: Si *conservatus erit*, *vicimus* (= vinces) (Cic., *Fam.*, XII, 6, 2).

1 Non raro, praesertim in stilo familiari, legitur futurum exactum pro simplici, ad celeritatem exprimendam, qua ponetur actio; v. g.: Da mihi hoc, iam tibi maximam partem defensionis *praevideris* (Cic., *Verr.*, 62) – Multo citius meam salutem pro te *abicerio*, quam Cn. Plancii salutem *tradidero* (Cic., *Pro Planc.*, 33). Quantae id fuerit utilitati post *videro* (Cic., *De Rep.*, II, 9).

NB. – Futurum exactum *videro* pro *videbo* frequentius est apud Ciceronem.

IESU IN CUNIS DORMIENTI
(PUERI CANTIUNCULA)

*O Iesu Puer, o Puer venuste,
Longe carior omnibus puellis,
Cur tuis semel abnus misellum
Memet luminibus videre blandis?
An dormis, Puer o venuste, dormis?
Hem! dulcis precor adliget tenella
Somnus membra revinciatque longum,
Dum te frigidulo trementem in antro
Suis Mater amans foveat lacertis.
Quam sic scitulus ipse mi videris,
Qui prouum caput adprimis decenter
Cervici roseae bonae Parentis
Collo et candidulo bonae Parentis,
Lentus brachia delicata nectis.
Quin licet placida quiete pressi
Blandum nescio quid nitent ocelli,
Et lenissimus insidet micatque
Risus semihiantibus labellis.
Immanes boreae furentis irae,
Hinc abite procul: silete vestris,
Pastores, calamis, levem Puello
Ne levis strepitus fuget soporem:
Sol sub aequore longius moretur
Serenum revehens diem, nec antrum
Collustret radiis tenebricosum.
Ipse ego interea abditus latente
Specus huius in angulo silebo,
Excussus Puer ut sopore blandis
Memet respiciat libens ocellis.*

H. N.

NOCTURNA LUMINA AD MARE

*Si in rerum testem historiam paullisper
oculos coniiciamus, facile deprehendemus
omnibus temporibus ad portus, freta ac
promontoria nocturna fuisse lumina, qui-
bus nautae rectum tenerent iter, ne in*

scopulos offendenter, neve tempestatis vi
oppimerentur.

Tribus iam millibus abhinc annorum
constat varia ratione lucem nocturno tem-
pore nautis fuisse exhibamat: principio in
litore; postea proceris in turribus immani
lignorum congerie flammis data immen-
sum maris aequor longe lateque illustra-
batur. Deinde lignis adipem animantium,
resinam atque oleum patulo in vase, vel
ferreo vel aeneo, fuisse suffecta, memoriae
traditum est.

Sunt qui putent insignem Rhodium col-
lossum, centum viginti pedes altum, ad
lumen noctu exhibendum nautis fuisse aere
ductum, tum quod prope litus staret, tum
quod Apollo, lucis Deo sacer esset, atque
immensa magnitudinis lampadem dextera
teneret. Ex quo coniici potest Siciliae
cyclopes, quibus unus media in fronte ocul-
lus erat, nihil aliud fuisse, nisi immani
statu colosso, lumen noctis tempore nautis
inferentes.

Antiquis temporibus turris celeberrima,
in quibus noctu lumen nautis praebebatur,
illa iure merito habetur, quam Alexan-
driæ Aegyptiae e Ptolemaeo Philadel-
pho, anno ducentesimo septuagesimo ante
Christum natum, fuisse exstructam accé-
pimus. Mirificum opus marmoreum, quod
octingentis fuit talentis argenteis, basi qua-
drigentorum pedum quadratorum innixum,
quadringtonos quinquaginta pedes altum
erat, adeo ut fama sit lumen ex ipso profi-
ciscens a nautis accipi posse triginta cir-
citer millia passuum e portu distantibus.

Neque minoris pretii turris fuit, quam
ad Ravennæ portum conditam scimus.
Nota quoque dignae videntur id genus
turres, quae Caprariae atque Ostiae con-
structae sunt a Romanis, qui talia aedi-
ficia summae utilitatis non modo italicis in
oris, verum etiam in regionibus bello
subactis exstruenda summopere curarunt;
ex Atlantico enim mari ad Euxinum Pon-
tum, et ad mare nostrum multis in portu-

bus fretisque plurimae extabant turres,
quarum lumine nautae duci possent.

Notanda insuper celebris in Angliae
oris columnæ, cui nomen a Pompeio, etsi
eam Domitianus erigendam curaverit:
rudera, quae adhuc supersunt, columnæ
magnitudinem liquido ostendunt.

Sciendum denique est, Romanos nauta-
rum saluti noctu per triremes prospexit,
quae ad portum ac freta, vel per altum
sensim vagantes, rectum navibus ostende-
bant cursum magnis facibus in malo atque
in navis latere colluentibus.

Media autem quam dicimus aetate,
quam Venetiarum, Genuæ atque Amal-
phis res publicæ in Italia florerent, accidit
ut maritimorum consuetudo itinerum ob
commercii causam increbresceret; quare
et necessitas increbuit lumina ad oras mul-
tiplicandi. Idque in usum deductum est
non modo in Italia, sed etiam in aliis Eu-
ropæ regionibus, in Dania praesertim at-
que in Anglia, quae ceteris nationibus, si
Italiæ excipias, maritimorum itinerum
audacia ac prudentia praestiterunt. In An-
glia autem tot tantisque curis navigantium
saluti provisum est, ut coetus quidam in-
stitueretur, cui nomen « Trinitatis Fratres »
(Trinity House), quique sibi propositum
haberet Angliae oras, periculosis praeser-
tim in locis, noctu lumine illustrare. Lam-
pades vero ea tempestate in huiusmodi
turribus splendentes oleo plerumque ale-
bantur, quarum lux tenuior vitreis lenti-
bus, aut per ferreos sive aheneos discos
albo colore delinitos, increbrescenti vi in
extensem maris aequor reicebatur, ita ut
a nautis longe e portu distantibus facile
oculis hauriri posset.

Nostris hisce diebus, quum electrica lux
mirum in modum plurimos adhibeat in
usus, dici quodammodo potest soli ipsum
iubar esse raptum ad lumen longinquis
navibus noctu inferendum. Idque in prae-
cipuis portibus ac fretis Europæ, Amer-
icae, atque regionum omnium, quibus hu-

manatis splendor affulserit, magno cum
commercii incremento, magna cum via-
torum securitate adhibitum videmus. Om-
nium autem id genus luminum per insigne
illud profecto existimatur, quod ad Neo-
Eboraci portum lucet, ubi in altissima basi
ad caelum tollitur immani magnitudine
simulacrum, a Libertate nuncupatum, ex
quo tanta lucis vis promanat, ut naves ad
portum facile appellere, rectumque in iti-
nere cursum tenere possint. Neque id mi-
rum; quum notum sit ditissimos Americae
incolas rebus mirificis suapte natura sum-
mopere delectari, adeo ut nihil prope fa-
ciendum suspicere valeant, quod maximi-
non sit, neque admirationem iniiciat sui.
Quod illis benevertat.

HERSILUS.

VETERA ET NOVA**De " Archirotula".**

Rotularum omnium longe iucundis-
sima, — quod nuper inventum, orbis to-
tius puerorum maximum oblectamentum,
vulgo « yo-yo » nominatur, — archirotula
esse dicitur.

Cuius origo Ovidiana illa fabula digna.

Antiquissimis enim temporibus spretos
esse a Rotula nymphe Mercurii amores
aiunt, frustraque lacrimas mille singula
quoque hora ab infeli illo effundi.

Quo factum est, ut iam facundissimus
Maiae filius obmutesceret, nocteque dieque
vindices deas facinorum scelerumque om-
nium vocaret, deorumque patrem superum
curarum immemorem acriter accusaret.
Iamque tertius versabatur mensis dolorum
gravisque irae, caelicolaeque omnes Mer-
curium animo miserabantur, quum, nescio
quo casu, nocturno ambulans tempore infe-
lix ad Tiberinas ripas, tristissima animo

TIT. - Nemo id miretur, qui scirpos illius regionis consideret, quibus infirmi fulciunt gradum.

GEORG. - Heus! Quota hora est?

HUG. - Quid tibi opus est hora? Si quid vis agere, dum est opportunitas, est hora. Sed ubi est horologium tuum viatorium?

GEORG. - Excudit mihi nuper, quum fuderem canem olitoris, post decerpta pruna.

TIT. - Ego te currentem vidi de fenestra, sed ne cogitavi quidem effusi tui cursus causam hanc fuisse.

HUG. - Hem! qui sunt isti penulati et ocreati? Quid umeris sustinent?

GEORG. - Vini doliola, ni fallor.

HUG. - Exhilarabunt multos.

GEORG. - Scilicet non solum vinum exhilarat, sed vini mentio et recordatio.

HUG. - Vinosos utique. Mea nihil refert, qui aquam bibo.

GEORG. - Nunquam facies bonum carmen.

TIT. - Nosti hominem illum?

GEORG. - Non; quinam est?

TIT. - Aures habet gossipio obturatas.

GEORG. - Quid ita?

TIT. - Ne quid audiat; quia male audit.

HUG. - Quam multi pessime audiunt auribus patentibus et bene perforatis!

TIT. - Credo huc pertinere quod est apud Ciceronem in *Tusculanis quaestionibus*. Surdaster erat M. Crassus, sed illud prius, quod male audiebat.

HUG. - Non dubium est quin ad infamiam sit referendum. Sed heus tu, Bernarde, invenisti *Tusculanas* tuas?

BERNARDUS. - Etiam, apud propolam, adeo interpolatas, ut vix agnoscerem.

HUG. - Quis surripuerat?

BERN. - Vinicius, quod illi male sit.

GEORG. - Vah! hominem manibus aduncis et picatissimis! Ne admittas eum unquam ad tuas capsas, nee ad scrinia, si vis omnia esse salva. Nescis illum crumeniscam existimari ab omnibus, et de crumenisecio accusatum apud gymnasiarcham?

HUG. - Nostis ne praetereuntem illum onustum retibus, comitatum canibus, cum causia et peronibus, vehementem gradario illo equo strigosissimo?

TIT. - Nonne est Mannius versificator?

HUG. - Est plane.

TIT. - Quaenam tanta metamorphosis?

HUG. - Ex Minerva transiit ad Dianam. Pater eius mercionis faciens auxerat rem. Hic paternam artem dedecori sibi esse duxit; vertit se ad alendos equos et venationem, non aliter ratus posse nobilitatem generis venari; nam si quid ageret utile, non haberetur pro nobili. Sequitur eum venantem Curius, talis pereruditus homo, aleator famosissimus, qui probe novit taxillos mittere compositos. Habet sodalem Trigongium quemdam ...

TIT. - Immo amphoram.

GEORG. - Immo spongiam.

BERN. - Immo arenam Africæ aridisimam: aiunt illum semper sitire.

HUG. - An sitiat, nescio: semper certò paratus est potare.

BERN. - Oh! ausculta lasciniolam illum.

GEORG. - Ubinam est?

BERN. - Non vides eam in ramo illo sedentem? Ut canit ardenter, nec intermittit!

HUG. - Flet Philomela nefas.

GEORG. - Quid mirum dulciter ea garrisce, quae sit Attica, ubi etiam fluctus maris non sine numero allidunt litora?

HUG. - Plinius scribit eam praesentibus hominibus diutius et accuratius cantare.

TIT. - Quid cause est?

HUG. - Ego tibi causam aperiam. Cuculus et Philomela eodem cantant tempore, verno scilicet, ab Aprili medio ad Maium exactum, aut eo circiter. Hae duae aves in contentionem venerunt de suavitate concentus. Quaesitus est iudex, et quia de sono erat certamen, aptissimus visus est ad eam cognitionem Asinus, qui praeter ceteros animantes grandes habet auriculas. Asinus, repudiata luscina, cuius se harmoniam negaret intelligere, victoriam cuculo

adjudicavit. Philomela ad hominem appellavit; quem ut videt, agit statim causam suam: canit diligenter, ut se illi approbet ad vindicandam iniuriam ab Asino acceptam.

GEORG. - Habeo rem poëta dignam!

HUG. - Quid ergo? Exspectabas dignam philosopho?... Sed in viam revertarum. Quod de Mannio vobis narravi, idem fere et de sodali quondam nostro Gulielmo dicendum est.

TIT. - Quid audio!...

HUG. - Misit nempe ad patrem epistolam flebiliter conscriptam de misera conditione studiorum. Pater, homo crassae Minervae, transtulit eum a chartis ad lanas, pannos; inde ad piper, gingiber, cinnamonum. Nunc ille succinctus ventrali, mire diligens et sedulus in aromataria taberna vocat adventores, excipit blandus, scandit, descendit per scalas infestissimas, profert suas merces, vertit, invertit, mentitur, periurat. Omnia sunt illi leviora, quam studere.

GEORG. - Verum iam a puero ego novaram illum attentum ad rem et delectari nummulis. Itaque potiorem habuit nummationem, quam litteraturam; et vile lucrum anteposuit excellentiae eruditionis. Aliquando poenitebit eum.

TIT. - Sed sero.

HUG. - Indubie. Provideat, ne accidat sibi, quod suo consobrino.

TIT. - Cui?

HUG. - Antonio. Nonne audisti illum superiore anno decoxisse?

GEORG. - Quid decoxit, quae? Estne hoc tantum malum? At quotidie id fit in culinis omnibus!

HUG. - Decoxit rem.

GEORG. - Quam rem?

HUG. - Alienam, et conturbavit omnem.

GEORG. - Scilicet, nihil reddidit creditoribus?

HUG. - Ex compactione uncias ternas ex libris singulis.

GEORG. - Hoc vocas tu decoquere, quum nihil sit crudius?... Sed quomodo amisit?

HUG. - Audivi eidem nuper a meo patre; non satis tamen intellexi. Narrabat pater eum fecisse versuras damnosissimas, quae deglutiunt eum et devoraverunt usque ad ossa.

GEORG. - Quid rei est versura? Quid deglutire?

HUG. - Non ego quidem novi; credo esse aliquid de furibus.

TIT. - Vides illum oboesum, quem putas vix se posse commovere? Petaurista est et funambulus.

GEORG. - Ah! tace; rem narras incredibilem.

TIT. - Atque tamen veram. - Sed tu, Hugo, affer, si habes, aliquid aliud de antiquis nostris sodalibus.

HUG. - Etiam. De Hermogene, qui in omni nostro certamine semper terebat primas. In admirabili mutatione ex ingeniosissimo, et, ut aetas illius ferebat, doctissimo, repente factus est tardissimus et rudissimus.

TIT. - Tale quicquam non semel vidi accidere in quibusdam acutulis.

BERN. - Aiunt id fieri, quum ingenii acumen non est solidum, ut in scalpellis, quorum acies facile retunditur; praesertim si quid secet paulo durius.

GEORG. - Quid? Estne acies in ingenio sicut in ferro?

BERN. - Nescio; ferrum saepe vidi; ingenium nunquam vidi.

TIT. - Quid factum est adolescenti illi pagano, qui superiore mense exhibuit nobis prandium adventorium, refertum deliciis rusticis, atque paulo post evanuit?

HUG. - Evanuit quia ex ephebeo fugit; nec retrahi potuit.

TIT. - Erat formosulus...

HUG. - Venustus asinus. Ancilla amitae meae cubicularia, quae est illi soror patruelis, convenit illum nuper in pago suo,

nudo capite, impexum horridum, cum gallicis et tunica villosa et levidensa.

GEORG. - Atqui claro sanguine erat ortus!

TIT. - Ain' tu?

BERN. - Quoniam pater eius est... de genere Coelitum.

TIT. - Ehem! non tam id arguit nobilis virum, quam bonum iaculatorem.

HUG. - Aut fabrum lignarium, qui oculo rubricam dirigit uno. At vero nunquam placuit mihi ille puer, nec dederat mihi significationem aliquam virtutis.

GEORG. - Quid ita?

HUG. - Quia nec amabat studia, nec antistites reverebatur, quod est perditus animi argumentum evidentissimum, et senibus irridebat et calamitosis subsannabat. — Sed quis est iste tam ridicule fucatus?

BERN. - Et hic quidem ex genere clarissimo: matrem habet nobilissimam et foecundissimam.

HUG. - Quam?

BERN. - Terram; et vix credas quas semper faciat delicias; dicas puerulum in cunis adhuc, et crepundiis vagientem.

HUG. - Atqui lanugo illi incipit iam per malas serpere. — Sed nunc satis nugatum a nobis est: horam credo iam advenisse revertendi ad Iudum.

TIT. - Papae! Properemus.

ANNALES

Pro bellici aeris alieni remissione.

Idibus Decembribus adventantibus, quum aeris alieni Civitatibus Septentrionalis Americae solvendi prolatio cessabit, Anglicum simul et Gallicum gubernium ab Americano petierunt ut ad novum quaestio- nis examen una procederent, eoque magis quod sit proxime futurum ut omnium na-

tionum Conventus de oeconomica universa re perpendenda congregetur; interim autem ne pensioni a debitoribus responderetur. Hoover, Civitatum illarum praeses, quoniam in munus a recentibus comitiis ei Rooseveltus fuit iam suffectus, successorem hunc suum apud se invitavit ad argumentum secum examinandum. Licet ambo exhibitae propositioni saven- tes predicarentur, morem tamen gerere iis oportuit publicarum legatorum coetui, qui huiusmodi consiliis omnino adversatur, atque praesertim Europae nominibus minuendis. Repulsa igitur responsum est: quae Lausanae conventa sunt, ea omnino serventur! Non itaque mirum si Angliae et Galliae animus moleste inde fuerit com- motus; animadversum itaque ab iis est, sua quaesita rationibus tum iuris tum facti fulcientibus, at non facile sperandum est Americanos in contrariam sententiam di- scessuros.

* *

Genevensia colloquia.

Genevae nationum legati, Coetum de cautionibus statuendis ut ab armis discedatur efficienes, iterum congregati sunt, eo praesertim consilio, ut Germania ab abscessu suo in ceterarum nationum con- ventum reducerent. Gravis quidem labor, quum inde haec, illinc Gallia in consilis suis persistant, altera parium iurium re- petendorum; denegandorum altera. Non tamen improbabile est futurum, ut for- mula aliquis inter tot viros in rebus pu- blicis sagaciter versatos inveniatur, per quam, prout vulgo dicitur, capra et bras- sica serventur.

Disceptatum autem est apud Societatis Nationum Supremum Concilium, praesentibus tum Sinarum tum Iaponiae legatis, de inquisitione in Mandchouria peracta, ex qua concludebatur Sinense imperium in regione illa Iaponis sanctum haben-

dum esse; Sinis vero recognoscenda Iaponiorum iura acquisita et acquirenda. Nullus vero hoc usque rei exitus.

* *

Germanicae res.

In Germania ex renovatis comitiis Hitleriana pars, licet numero imminuta, victrix tamen iterum evasit; quumque iterum pariter declarasset se ad pactionem nullam cum administratorum quolibet collegio, praesertim si Von-Papen ei præcesset, venturam, spe futurae quietis in ci- vitatis bonum constituendae, Von-Papen ipse suo munere se abdicavit. Hitler ita- que civitatis Praeses Hindenburg ad Ger- maniae gubernacula vocavit, datis tamen conditionibus nonnullis ad civilium le- gum tutelam. Quarum sub specie, Hitler, qui reapse impar fuit administratorum col- legio constituendo quod animos concilia- ret, oblatum sibi officium recusavit. Veri- simile igitur videtur hoc ad Von-Schleider, Von-Papen collegam, traditum iri, quippe qui auctoritate sua inducias saltem inter certantes factiones obtenturus sit usque dum oeconomicae provisiones, a Von-Papen iam inductae, periculum fecerint.

POPULICOLA.

VARIA

Molucae insulae.¹

Quae communiter Molucae (insulae) vo- cantur, complures sunt numero, subiectae aequatori, et a borea in astrum vicenis ferme leucis inter se disiunctae: quarum nulla plus leucas sex ambitu colligit. Hisce plu- rimae circumfusae aliae sunt: verum ad

¹ EX MAFFEI historiis.

occidentem in sexaginta leucas tota fronte praetenditur altera Batochina, (Mauricam appellant), ita naturae muneribus divina providentia distributis — nempe ad conciliandam per mutuos usus humanam societatem — ut Molucae, cum ingentis pretii frugem caryophyllum unae omnium ferant; reliqua pene cuncta ad victimum et cultum aliunde mutuari cogantur, quarum magna partem ea, quam dixi, Badochina suppeditat. Arbor autem caryophilli, et stipe, et foliis lauro similis est, flore in primis odorato, qui e viridi in rufum immutatus, ubi obduruerit, *caryophyllum* Arabibus, at Hispanis, quod capitatus est, *clavus* appellatur. Arbor e decidentibus caryophyllis citra culturam enascitur; annuas fert fruges, quae tamen, propter flagellorum et acrioris decussus iniuriam, nonnisi altero quoque leguntur anno.

Solum, infra, purum est, arbore in semet omnem attrahente succum; ipse vero fructus, potentiorum praecipue mensis ac dapi- bus expetitus, ab institoribus ingenti lucro et in Asia et in Europa divenditur. Tellus arida est; et in modum pumicis fistulosa; itaque non modo cadentes e caelo imbrues momento convibit, sed etiam e montibus manantes absorbet aquas, antequam directo alveo ad mare perveniant. Eadem aliquot locis cum insano reboatu ignes eructat. Sed praecipua camino Ternatensi nobilitas. Mons in nubes adsurgit excelsus et arduus, cuius inferiora densis nemoribus vestiuntur; superiora, ex incendiis glabra et hor- rida sunt; in vertice crater, hiatu vasto, in plures circulos circumductos maiores minoribus, ad speciem amphitheatri disce- dit. Inde, per aequinotia maxime, certis flantibus ventis, cum horrisono fremitu flammae atro mixtae et fumo et favillis erumpunt, et omnia late loca cineribus com- plent. Visendi annuae sunt vices, nec nisi per funes aut ferramenta quibusdam locis ascensus est.

Incolae etiam sulphur alicubi optimum

legunt; fusco ipsi colore, fluxo capillo, ad bellica studia strenui, cetera mirum in modum inertes et pigri. Medulla quarumdam arborum vicitant: *sagum* vocatur; ea lente purgata, et testaceis inculta formis, non solum in quotidiana alimenta, verum etiam iu usum nautici panis egregie sufficit. Et ex eiusdem plantae ramis, artifici manu concisis, levandae siti, mirifico sapore simul et salubritate candidus liquor exsudat, quem vulgo *tuacam* appellant.

Ipsas insulas, olim desertas, et, qua planities est, mari mersas fuisse, testantur conchilia et arenae, quae fodientibus passim occurrunt, atque ob id ipsum ab indigenis incoli negant. Convenae sunt e Sinis, Iavis, et aurea Chersoneso, et aliis regionibus; origine dispares et sono linguae; ceterum contumacia, scelere perfidiaque simillimi, quippe, nec nisi malo coacti, recte facere norunt, et non ferro solum et aperta vi, sed calumniis, fraudibusque et veneno grasantur. Neque Molucensium tantum id ingenium est: ceterae quoque eius tractus insulae eadem infamia ferme laborant.

* *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Puls ex pileolis bononiensisibus.
Crusla iecusculis pullorum conspersa.
Capo elixus oryza circumfusus.
Artocreas leporinus.
Dulcia Natalitia.

* *

Aenigmata.

I.

Mordeo mordentes, ultro non mordeo quem-
[quam;
Sed sunt mordentem multi mordere parati;
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo
[ullos.

II.

Sponte mea veniens varias ostendo figuræ;
Fingo metus vanos nullo discrimine veri.
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Clavis*; 2) *Fumus*.

LIBRORUM RECENSIO

ACASTES BRESCIANI, *De commodis quae ex fluminibus percipiuntur* (Carmen in certamine Locensi laude ornatum).

Inscriptio Musis magis accepta desideratur; ceterum laudandum carmen, quod flumen celebrat, duobus amnibus, semota palude, Faliscodunum (*Montefiascone*) propinquosque vicos circumfluentem: puellae lina tergunt; aqua molas agit et praesertim vim electricam vicis praebet. Poëta novissima et aspera (ut de conducta vi electrica) magna facilitate aggreditur:

Undaeque illapsu urgetur noctesque diesque in celeres gyros orbis et una simul inter magnetem, deflexum in cornua bina, se rota praecipi turbine circumagit, quam rite efformant, velamine serico operta, cuprea per multos stamina torta sinus.
Magnete e fixo mirandum concita fluxum cuprea tum subito stamina concipiunt.

Accidunt breviora (fortasse iucundiora) carmina « *Ad lusciniam* » et « *Ad puerulos ludentes* », nec non carmen I. Carducci « *Ad Vergilium* » latinis modis concinne redditum.

Brescianius politis disticis utitur atque pentametrum Ovidii et Propertii modis pari facilitate aptat. Parvae mendae in magna laude; quasdam in pentametro elysiones caveat, auribus Musisque iniucundas; ut: *aetera late implet; et quae dicta auri.*

Eiusdem poëtae quam primum carmen de Aquileia recensebimus.

IUNIUS GARAVANI.

INDEX RERUM VOL. XIX

(AN. XIX — FASC. I-XII)

PAG.		PAG.
Communia vitae.		
Aestiva in suburbano coenatio		136
Epistolarum commercium		161
Epistolare sociorum commercium.		
Varia de novis verbis in latinum sermonem inducendis: (<i>I. Jové</i>) 14, 82, 171		
(<i>A. Avenarius</i>)	50	
(<i>I. Tasset</i>)	81	
(<i>I. F.</i>)	172	
Sub vesperum civitatis Oceaniae (<i>I. Tasset</i>) 33		
Fabulae.		
Fures et Gallus	17, 179	
Lupus et Grus	34	
Pyra	52	
Vulpes et Corvus	70	
Talpa	89	
Sorex, Ranae et Sol	106	
Vulpes et Testudo	143	
Historica.		
De Vaticana bibliotheca (<i>P. d. V.</i>)	10	
De Roberti Scotti, navarchi Angli, itinere antartico (<i>A. Haberl</i>) 18, 36, 54, 72, 90, 108, 126, 144, 162, 180		
De Iaponiorum Imperio (**)	22	
De Alvaro Bassano (<i>P. Segneri</i>)	34	
De Sancti Marini Republica sumnum imperium sibi iterum vindicante (<i>A. Aureli</i>)	41	
Marcus ab Aviano (<i>F. ab Avillana</i>)	60	
Augustus Imperator et bellum	70	
Romanum imperium (<i>Giambullari</i>)	142	
Libri dono accepti		35, 71
Librorum recensio (<i>I. Garavani</i>)		196
Litterae et Philologia.		
De Latini sermonis elegancia (<i>I. Jss.</i>):		
De pronominibus eleganter convertendis 3, 20, 43		
De verbis eleganter omittendis	57, 74	
De verbis eleganter addendis	91, 109	
De verbis eleganter usurpandis	128	
De conjugatione verborum	145, 163	
De temporibus verborum	183	
Qua ratione sit « <i>Aeneidos</i> » IV, 84-85 intellectus recte exprimendus (<i>R. Amerio</i>)	24	
Quid Plutarchus de belluis senserit (<i>H. P.</i>)	55	
De studiorum Latinorum utilitate (<i>T. Chave</i>)	73	
De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXXI	96	
De P. Vergili Maronis reditu saeculo ab eius ortu xx exeunte (<i>I. Antonelli Costaggin</i>)	112	
« <i>Pervigilium</i> » (<i>Forfex</i>)	168	
Novum certamen poetico « <i>Ruspantium</i> »	170	
Medicae notae.		
Ad sanitatem tuendam: Aphorismi sive precepta medendi generalia ex pluribus causibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta (<i>I. Fam.</i>) 15, 28, 51, 68, 85, 120, 140, 157		



C MAR 40

PAG.		PAG.	
Rom sacra.			
Ex S. Congregatione S. Officii	70	De substantiis in metheoritis existentibus	79
SS. D. N. Pi ^e PP. XI litterae encycliae de praesentibus humani generis aerumnis	103, 121	De antiquitate terrae	80
Sapientum pervestigationes a radio-phonica Vaticana statione latine vulgatae.			
NOTAE:			
De novis legibus « hereditarietatis » (<i>T. Closi</i>)	27	De actione quorundam metallorum in vegetatione	80
De Cycloibus (<i>S. Ranzi</i>)	27	De propriis optimarum artium vocabulis	80
Nova quaedam intepretatio pro deflexione lucis (<i>I. Gianfranceschi</i>)	47	De ratione inter unitatem electrostaticam et electromagneticam	101
De « determinismo » (<i>I. Gianfranceschi</i>)	64	De novis usibus ampullae electroionicae	101
De structura universi (<i>I. Gianfranceschi</i>)	79	De nova methodo pro inscriptione et analysi sonorum	101
De sensu oculi humani cum sensu laminae photographicae comparato (<i>I. Stein</i>)	99	De altissimis nubibus	102, 134
De aequationibus Eisteinianis pro universo statico (<i>I. Gianfranceschi</i>)	100	De parallaxi minorum stellarum	118
De radiationibus mythogeneticis et de « Effectu Stempell » (<i>I. Zirpolo</i>)	100	De artificiosa desintegratione nuclei atomici	118
De duabus « planetoidis » nuper inventis, quae ad Terram proxime accedunt (<i>I. Stein</i>)	133	De novis elementis, quorum numeri atomici octoginta septem et octoginta quinque	119
De materia vivente subiecta temperaturae helii liquidii	134	Turbinae ab hydrargirii vapore actae	119
De reflexione undarum electricarum (<i>I. Gianfranceschi</i>)	153	Experimenta in supraconductoribus	135
De progressu in analysi quantitativa spectrorum (<i>A. Gatterer</i>)	154	De notione inductionis magneticae	135
De inquisitione in velocitatem propagationis gravitatis (<i>I. Gianfranceschi</i>)	154	De systemate amplificationis iu conventu Dublinensi	155
NOTITIACULAE VARIAE:		102, 119, 135, 155, 175, 191	
Sententiae, 9, 42, 82, 93, 105, 120, 132, 142, 153,			
		157	
Vacui temporis hora.			
Pro iudicibus mensarum elegantibus, escarum ordines (<i>I. F.</i>):		17, 35, 53, 71, 89, 107, 125, 143, 179, 196	
Iocosa (<i>I. F.</i>):		17, 35, 53, 71, 89, 107, 125, 143, 161, 179	
Aenigmata		17, 35, 53, 71, 89, 107, 143, 161, 179, 196	
Varia.			
De fabulosis insulis Fortunatis (<i>Muretus</i>)		16	
De papyris (<i>X</i>)		77	
Hebraeorum comploratus (<i>P. Segneri</i>)		88	
Ceilanum insula (<i>Maffei</i>)		125	
Auditus et musice (<i>R. S.</i>)		147	
Maris tempestas ad Bonae spei promontorium (<i>Maffei</i>)		160	
Obeliscus (<i>A. Marcellinus</i>)		178	
Nocturna lumina ad mare (<i>Hersilius</i>)		188	
Molucae insulae (<i>Maffei</i>)		195	
Vetera et Nova.			
De « Archirotula » (<i>F. Semi</i>)		189	
IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen, Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.			
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.			
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS			